ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Cur bone detorques scriptor mea carmina? non te
Vatem mando atomos gignere; mando Patrem.

At crede, Hugeni clarissime, me gruum more dormire, ut qui, ἀνὴρ minime βουληφόρος, ἀλλὰ εὕδειν παννύχιον. Nedum ut eo modo dormiam, quo Imperatorem mori oportere dixit Solymanni domitor. Nec enim hanc dormientis posituram fidat, quae mihi a latere est, cum nec Hectoris Andromache, nec Catonis Portia hanc probaverint, graves alioquin foeminae. Nimis diserte de tribus istis Epigrammatis παρασαγγώδοις, quae digna non sunt ut ob ea vel Bellerophon esse velim, vel Zoroastres. Titivillitia sunt, & vetus meum βρεκεκεκέξ. Sed quam tu dextre ab atomis physicorum deflectis ad atomos poeticas, easque mihi obtrudis, ut loquacem Fabium exerceas. Age, quia ita vis, sequar. Ad Calendas usque Maij animus est tibi et genio meo obsequi. Mox, ubi in magna ista urbe versari dabitur, grandia me cogitare oportet inter grandes. Quod si Habendi scabiem, qua laborant illic cives, mihi quoque affricuerit diva moneta, actum erit de Musis. Atomorum libros tibi relinquam, dummodo corpora trinae dimensionis ~~[illegible]~~ aurea et argentea convasare possim. Sed ne audiat haec fortuna. Vereor enim ne mihi accidat, quod Micyllo Lucianico, cui dives illud & aureum somnium abrupit galli cantus. Sed redeo ad gryphos tuos vel Atomos. Earum Prima est.

Advertat Stoa, versor in tuo sacro.
Quis liber, et non liber, & tamen liber?

Horatius Satyr: 7. lib. 2.

Quisnam igitur Liber? Sapiens, sibique imperiosus.
Quem neque pauperies &c.

Stoa apud Ciceronem in Paradoxis.

μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

Barlaeus.

Advertat Aulae cultor et decus grandis.
TU liber et non liber & tamen liber,
Liber parente nata libero proles,
Non liber uni mancipatus Heroi,
Equitumque rursus iure liber, HUGENI.

Ad

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/591

Ad Alteram secundam, quae haec erat:

Quaero modo an par sit superis, an iniqua potestas;
Res unas facio non faciendo duas,

Respondeo. Inversus unum multiceps facit duplex.

Verum, Hugeni doctissime, ne et me cum Sphynge nunquam locutum putes, habe aliud aenigma vel gryphum, sed qui antiquitatem redolet:

Semicapri quicunque subis penetralia Fauni,
Haec lege Romana verba notata fide:
Myrtilus hic iaceo, iuxta Marulla quiescit,
Quae soror et genitrix, et mihi sponsa fuit.

Vale Hugeni cl. cum puerpera & tribus capellis, aut potius haedillis. Lugd. Bat. XIV Cal. April. CIƆIƆCXXXI.

V. T. observantissimus
C. Barlaeus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/591

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/591

Aen mijn heer
Mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder, heer tot Zuijlichem, Secretaris
van sijn Exie woonende in de
Houtstraet

Hage

port

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/591